

XXII.

MULGEDIUM SONCHIFOLIUM *Vis.* et *Panč.*^v

Tabula II.

M. caule erecto striato villosulo, foliis supra glabratis, petiolo nervisque hirtellis, runcinato-pinnatifidis, inferioribus petiolatis, caulinis cordato-auriculatis amplexicaulibus, laciniis sinuato-dentatis ovatis acutis decurrentibus, cum terminali cordato-triangulari maxima saepe confluentibus; floribus glabris secus caulem fasciculatim sparsis, apice subumbellatis; pedunculis subsimplicibus squamulosis, capitulis involucreatis, achaeniis lanceolatis compressis obtusis 10-striatis, in rostrum concolor breve apice in cupulam eroso-denticulalam expansum attenuatis, pappo simplici scabro niveo.

SYN. *Lactuca sonchifolia* *Panč* Verz. d. in Serb. wildw. Phanerog. p. 85-non W.

ICON. Tab. II; *a*, Flosculus; *b*, Achaenium; *c*, id. auctum; *d*, Fragmentum pappi.

HAB. in sylvis abiignis, locis saxosis montis *Klanj* circ. Crnarekensis Serbiae australis, m. *Ozren* circ. Alexinacensis, m. *Plės*, *Rasovaz* et *Kamen* circ. Kusaževacensis, sub cacumine m. *Starica* prope *Majdanpek* circ. Krajennensis, m. *Kukutnica* et *Zlatibor* circ. Uzicensis, et m. *Beljanica* Serbiae centralis. Fl. Jul. Aug. Fl. aurei.

OBS. Clarissimus et deploratus Cichoracearum monographus *C. H. Schultz Bipontinus* supra plantam hanc a prof. *Pančič* acceptam, et quam antea *Mulgedium aureum* vocaverat, in litt. eidem datis novum genus condiderat, quod aliis quoque *Mulgedii* et *Lactucae* speciebus ditatum in scheda manuscripta et adhuc inedita sequenti modo illustraverat.

LACTUCOPSIS *C. H. Schultz Bipont.*

Nov. Cichoriacearum gen.

Capitulum pauci-multiflorum. Involucrum imbricatum, foliolis internis 5-13. Achaenia ovato-oblonga, compressa, utrinque pluristriata, in rostrum breve



Mulgedium sonchifolium V. et P.

G. B. Lago dis. del. vero